




EX
LIBRIS
ROBERT
HOE







ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA. M. DC. XLV.

PRÆNOBILI AC GENEROSO

DOMINO

D. FRANCISCO DE KINSCHOT,

Toparchæ de Kinſchot, Riuiere, Iette & Ganshorn, Catholicæ Maieſtati in ſupremâ Ærarij ac Dominiorum Regiorum per Belgium Curiâ à Conſiliis, &c. recèns inter Equites Ordinis Militaris S. IACOBI ſolemniter inaugurato.



NOVI honoris auſpiciis venio gratulatum. Nam præter recentem illam inter ſupremos Ærarij Regij Conſiliarios (etiam *Commis* voce vulgari) dignitatem, tam nobili gloriosâque Cruce, qualis ea eſt quæ à ſancto IACOBO nomen habet, dignum Te, Generoſe Domine, Catholica Maieſtas iudicauit; cuius

nomine auctoritateque Excellentissimus Princeps Marchio de Caracena, Comes de Pinto, eidem Maiestati à Cubiculis, summus in hisce partibus Ductor Equestrium copiarum, & ipse Eques Ordinis S. IACOBI, in amplissimo consessu Marchionum, Comitum, Baronum aliorumque Equitum Crucis istius, Te militari illâ dignitate recèns inaugurauit. Et iam antè per alios munerum publicorum gradus viam tibi munieras. Parentem filius sequeris passibus non imparibus, indole non degeneri. Ille, vti ob fidem integritatemque iam per annos vigintiquinque supremi Ærarij Regij Thesaurarius fuit, ita ob negotiorum experientiam, rerum cognoscendarum facilitatem, iudicandarum maturitatem, agendarum dexteritatem, ob merita denique non vulgaria ab eâdem illâ Maiestate in summum illud *Concilium Status* fuit adlectus. Qui honos vti in Repub. amplissimus est, ita sanè paucorum est: omnes annulo possent inscribi. Ad Te verò quod attinet; pergis quo cœpisti pede puer atque adolescens, quando in litterarum Palæstrâ quoties ad vlteriorem scholam, toties quasi ex æde Virtutis ad noui Honoris templum vide-

videbare conſcendere. Teſtis oculatus refero; cùm Bruxellæ, Humaniorum ſtudiorum Lycæo Præfectus, per ſex annos morum tuorum induſtriæque ſpectator interfuerim; vnde iam maior quoque mihi cauſa atque neceſſitas hiſce tuis ſucceſſibus amicè gratulandi. Ceterùm, par deinde tua & amplior in Philoſophiæ & Iuris vtriuſque decurſu gloria. Noueras ſiquidem veram animi nobilitatem, poſt Virtutum decus, eſſe ſcientiam. Neque ſtudia tantùm tua plena fuêre commendationis, ſed & itinera: in quibus tamen multi, id ætatis præſertim, quantum oculis conſpiciunt, tantum cæcutiunt animis; & dum pedibus rectà iter intendunt, moribus longè exorbitant. Tantum valet in deteriorem partem nationum contagio, atq; inſoleſcens per abſentiam parentum libertas. Et nullibi tam liquidè ferax virtutum ſolum eſt, cui non ſuum quoq; vitiorum lolium ſit. Ita in Italiam profectus es, ita Romæ verſatus, vt nihil inde niſi verè Romanum, id eſt cum laude virtuteque coniunctum, reportaris. Quid dicam, quibus ducibus id omne confeceris? imò quibus & modò ad ſublimiora conſcenderis? vectum Te dixero Quadrigâ Virtutum

earum, quarum hîc ſpeciem quamdam exhibeo. Quaternæ ſunt, Cardinales ſunt: in quibus omnis honeſti rectique cardo voluitur. Agnoſciſne eas iam pridem Tibi pluſquam in imagine notiſſimas? Cùm Gymnaſium litterarium (de quo iam antè) earum tabulis emblematicis, amplis atque egregiè depictis, & ad ſpecimen doctrinæ & ad loci ſplendorem inſtrui quondam curarem, Tu Humanitatis eo tempore alumnus, ex illis eam adornandam ſuſcepiſti, quæ ita illic etiamnum perdurat, vt ſine nominis tui recordatione conſpici nequeat, & cuius lineamenta hîc quoque, cùm eam iterùm in effigie contuebere, facilè animo recurrent. FORTITVDO ea eſt, quaſi dux quædam, imò medulla ceterarum atque firmamentum. Equitum illa virtus propria eſt; vt abs te ſic quondam adumbrata, nouo huic decori velut augurio quodam iam tum præluſiſſe dicenda ſit. Eam, vti & reliquas, non ſatis habui tum videre depictas coloribus, niſi poſteà quoque cernerem æri inciſas. Quod quidem eo animo effeci vt latiùs ſpargerentur, vtque etiam papyro impreſſæ perennarent magis, cùm ſua quoque chartis æternitas ſit. Redit itaque

que ad Te Virtus illa tua; neque ſola redit, ſed & reliquas ſecum deducit, cùm vna omnium ſocietas ſit. Ego verò id inſuper effeci vt ne incomptæ incomitatæq́ue redirent, ſed aliquanto ampliore verborum ſententiarumq́ue apparatu inſtructæ. Quas ipſas (non tantùm earum ſimulacra) vti perpetuas D. T. Comites voueo ac Magiſtras, ita munerum ampliſſimorum euentus auguror longè ſecundiſſimos lætiſſimosq́ue, notitiâ vetere, nouo ſemper affectu

Tuus,

Generoſiſſime Domine,

Jacobus Caterus
Soc. Iesv.

Antuerpiæ, Kal. Iunij,
M. DC. XLV.

FOR-

FORMA, COLOR, ORIGO CRVCIS S. IACOBI MORALITER EXPOSITA: AD EQVITEM FRANCISCVM.



RVX gladio similis, gladij quoq; nomine dicta:
Ille agere ingentes res docet, illa pati.
Pro patriâq; Deoq; dare aut haurire cruorem
En Crux sanguineo murice tincta monet.
Nempe agere atque pati IACOBVM *fortiter ensis*
Impulit: hinc gladio lausq; decusq; Cruci.
Sanguine IACOBI, *Maurorum sanguine mucro*
Cùm rubuit, dispar causa ruboris erat.
Pro Cruce IACOBVS *cecidit, cæloq; superstes*
Pro Cruce barbaricos contudit ense Duces.
Hinc gladiata nouos sibi Crux delegit alumnos,
Regius Heroas dum Cruce signat honos.
Ut tibi defuerit IACOBI *nomen, honorem*
Quondam & Francisco Crux dedit ipsa suum.
Ergo Crucem gladiumq; pari moderamine iunge:
FRANCISCVM *ast* EQVITEM *Crux gladiusq; probant.*

QVA-

QVADRIGA VIRTVTVM CARDINALIVM VITÆ HVIVS VIATORIBVS EXHIBITA.



ITA *via est: currúne, an equis pedibúsve terenda?*
Nec curru hæc, nec equis, nec pede trita via est.
Imò & equis pedibusque & curru hac itur: eunti
Nempe animo affectus pro pede ductor erit.
Et Virtus currumque & equos scit flectere. Fallor:
Pro curru vel equis certiùs ipsa vehet.
Non bigas ego iam trigasque hîc ordine ducam:
Tempora dum pretium grandius ista petunt,
Maiorisque iubar pompæ strepitumque: quadrigas
Non solus rutilo tramite Phœbus agit:
Terra auratarum quatitur splendore rotarum:
Tot sub quadriiugis terra fatiscit equis.
Quò properant? sæpè ad lautæ dispendia sortis:
Metæ, pauperies vltima sæpè loco est.
Quam Diuæ efficiunt quatuor præbentque, Quadriga
Vectorem ad summas commoda ducit opes.
Robur huic Dea dat Fortis; Moderata *lupatos,*
Temonem Prudens *dirigit,* Æqua *rotas.*
Hæc tutum per mille vehit discrimina vitæ,
Altius exili plebe soloque leuat;
Eliamque suum super aurea sidera portat:
Nam rheda est, nullos quæ Phaëthontas habet.

PRVDENTIÆ ICONISMVS.

HEVS, IVVENIS, QVO PROPERAS?
SERPENTEM METVIS
QVEM DIVA COMPLECTITVR?
NON IS EST QVI TE MORDEAT,
SED QVI VERAM DOCEAT
PRVDENTIAM;
QVAM SERPENTIS
QVOQVE SYMBOLO
IPSA OLIM EXPRESSIT
VERBI INCREATI, INCARNATI
SAPIENTIA.
SED ET SPECVLVM ASPICE,
NON QVO CINCINNOS ORDINES,
AVT FACIE TENVS TIBI BLANDIARE;
SED QVO TEIPSVM
PERVIDEAS PENITIVS,


RECTE
MA
TV
RE.
RESPICIT
FINEM
DISPONIT
MEDIA
PRVDENTIÆ SAC.
QVID VITES CVPIASVE, DICET ILLA
QVÆ RECTÆ RATIONIS EX AMVSSI,
AD FINEM, MEDIIS PROBIS HONESTVM,
TENDENDV̄ DOCET. HÆC SAPIT MAGISTRA

ET ANIMI SENSA ATQVE CONSILIA
CLARIVS PERSPICIAS,
PERFICIAS SECVRIVS.
ABI MODO QVO LVBET.
AD METAM TENDIS,
QVAM PROCVL DEMONSTRAS?
SAPIS, SI QVIDQVID AGAS
FINEM RESPICIAS;
MEDIA DISPICIAS, QVIBVS PERVENIAS.
SEQVERE RATIONEM,
NON IMPETVM;
ILLA RECTE:
SEQVERE CONSILIVM,
NON LIBIDINEM;
ILLO MATVRE OPERABERE.
ITA, LICET SIS IN VERE ANNORVM,
REPERIES TE IN AVTVMNO VIRTVTVM:
QVIA SIC, VEL IVVENIS
ABSQVE SENIO, SENEX ERIS.

SISTE HIC VEL IN LIMINE LECTOR: PAVCIS TE VOLO.



RVDENTIÆ *Iconiſmum paucis dedi; hoc eſt, iconem eius non effigie tantùm, ſed & oratione expreſſam. Exinde, paulò ampliorem eius deſcriptionem non verbis meis neq; etiam Sacrarum Litterarum Patrumq; teſtimoniis, ſed ex ipsâ Gentilitate depromptis adiiciam; quo conſtet ſcilicet, quantum virtutes illæ (idem enim agam in ceteris) cum ipsâ naturâ ſint coniunctæ, hominiq; propriæ Ratione vtenti. Et quidem cùm hîc non agam Magiſtrum aut Doctorem, ſed paucularum imaginum interpretem, non eſt mihi animus plurium Auctorum tabulas proferre, cùm pro breuitate mihi propoſitâ, omnium inſtar mihi futurus ſit* M. T. Cicero; *qui omnia hominis officia virtutum harum honeſtate definiuit. Igitur ea ex tribus Officiorum libris ſelegi, & catenatâ verborum illius ſententiarumq; ſerie (etſi non vbiq; librorum illius ac locorum ordine) contexui quæ huc facere videbantur. Elegantiùs rem exprimere non potui, quàm ipſis verbis Oratorum maximi; aptiùs non potui, quàm ſententiis eiuſdem, Philoſophorum non infimi: cùm Orator ſeſe etiam Philoſophum cùm hîc tum alibi non profiteatur tantùm, ſed oſtendat.*

DE VIRTVTIBVS CARDINALIBVS VNIVERSIM.

Ex Ciceronis libro 1. *de Officiis.*



MNE quod honeſtum eſt id quatuor partium oritur ex aliquâ: aut enim in Perſpicientiâ veri ſolertiâque verſatur; (Prudentia.) aut in hominum Societate tuendâ, tribuendoque ſuum cuique & rerum contractarum fide; (Iuſtitia.) aut in animi excelſi atque inuicti Ma-

Magnitudine ac robore; aut in omnium quæ fiunt quæque dicuntur ordine & modo, in quo est Modestia & Temperantia. Quæ quatuor quamquam inter se colligata atque implicita sunt; tamen ex singulis certa Officiorum genera nascuntur. Fortitudo. Tempe-rantia.

PRVDENTIA

Descripta ex libris Officiorum Ciceronis.



X quatuor locis, in quos honesti naturam vimque diuisimus, primus ille qui in veri cognitione consistit, maximè naturam contingit humanam. [*Lib.*1.] Nam inter hominem & belluam hoc maximè interest, quod hæc tantum, quantum sensu mouetur, ad id solum quod adest quodque præsens est se accommodat, paululùm admodum sentiens præteritum aut futurum: homo autem, quoniam rationis est particeps, consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumq; progressus & quasi antecessiones non ignorat, rebusque præsentibus adiungit atque annectit futuras: facilè totius vitæ cursum videt, ad eamque degendam præparat res necessarias. [*Lib.*1.] Vnde in primis hominis est propria veri inquisitio atque inuestigatio. Quòd enim verum simplex sincerumque est, id est naturæ hominis aptissimum. [*Lib.*1.] Et quidem princeps omnium virtutum est illa Sapientia quam Σοφίαν Græci vocant. Prudentiam enim, quam Φρόνησιν dicunt, aliam quamdam intelligimus, quæ est rerum expetendarum fugiendarumque scientia: illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est diuinarum

atque humanarum ſcientia. [*Lib*.1.] Quamquam illi ipſi doctrinæ ſtudiis & ſapientiæ dediti, ad hominum vtilitatem ſuam ſapientiam, prudentiam intelligentiamque potiſſimùm conferunt. [*Lib*.1.] Nam veri inueſtigandi ſtudio à rebus agendis abduci, contra officium eſt: virtutis enim laus omnis in actione conſiſtit. Itaque omnis cogitatio motuſque animi aut in conſiliis capiendis de rebus honeſtis & pertinentibus ad benè beateque viuendum aut in ſtudiis ſcientiæ cognitioniſq; verſatur.[*Lib*.1.]Cognitionem prudentiamque ſequetur conſiderata actio: ita fit, vt conſideratè agere, pluris ſit quàm cogitare prudenter. [*Lib*.1.] Ad rem gerendam autem qui accedit, caueat ne id modò conſideret, quàm illa res honeſta ſit, ſed vt etiam habeat efficiendi facultatem. In quo ipſo conſiderandum eſt, ne aut temerè deſperet propter ignauiam, aut nimis confidat propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis priuſquam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens. [*Lib*.1.] Ratione vti atq; oratione prudenter, & agere quod agas conſideratè, omnique in re quid ſit veri videre & tueri decet; contraque falli, labi, errare, decipi, tam dedecet quàm delirare, & mente captum eſſe. Omnis autem actio vacare debet temeritate & negligentiâ; nec verò agere quidquam, cuius non poſſit cauſam probabilem reddere. [*Lib*.1.] In primis autem conſtituendum eſt, quos nos & quales eſſe velimus, & in quo genere vitæ: quæ deliberatio eſt omnium difficillima. [*Lib*.1.] Eſt igitur adoleſcentis, maiores natu vereri, ex hiſque eligere optimos & probatiſſimos, quorum conſilio atque auctoritate nitatur. Ineuntis enim ætatis inſcitia ſenum conſtituenda & regenda prudentiâ eſt. Senibus autem labores corporis ſunt minuendi; exercitationes

tationes animi etiam augendæ videntur. Danda verò opera, vt amicos & iuuentutem, & maximè Remp. consilio & prudentiâ quàm plurimùm adiuuent. Nihil est autem quod tam deceat, quàm in omni re gerendâ consilioque capiendo seruare constantiam. [*Lib.*1.]

ASTutiæ tollendæ sunt, eaque malitia, quæ vult quidem videri se esse Prudentiam, sed abest ab ea distatque plurimùm. Prudentia est enim locata in delectu bonorum & malorum: malitia, si omnia quæ turpia sunt mala sunt, mala bonis anteponit. [*Lib.*3.] Quod qui parum prospiciunt, hi sæpè versutos homines & callidos admirantes, eorum malitiam sapientiam iudicant: quorum error eripiendus est, omnisque opinio ad eam speciem traducenda, vt honestis consiliis iustisque factis, non fraude & malitiâ se intelligant quæ velint consequi posse. [*Lib.*2.] Qui omnia metiuntur emolumentis & commodis, neque ea velint præponderari honestate, hi solent in deliberando honestum cum eo quod vtile putant comparare: viri boni non solent. [*Lib.*3.] Cùm igitur aliqua species vtilitatis obiecta est, nos commoueri necesse est; sed si, cùm animum attenderis, turpitudinem videas adiunctam ei rei quæ speciem vtilitatis attulerit, tunc vtilitas non requirenda est; sed intelligendum, vbi turpitudo sit, ibi vtilitatem esse non posse. [*Lib.*3.] In quo verbo lapsa consuetudo deflexit de via, sensimque eò deducta est, vt ab honesto vtile secerneret, & constitueret honestum aliquod quod vtile non esset; quâ nulla pernicies maior hominum vitæ potuit afferri. [*Lib.*2.] Aliud vtile interdum, aliud honestum videri solet falsò: nam eadem vtilitatis quæ honestatis est regula.

Qui

Qui hoc non præuiderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Peruertunt autem homines ea quæ ſunt fundamenta naturæ, cùm vtilitatem ab honeſtate ſeiungunt. Eſt enim nihil vtile quod idem non honeſtum; nec quia vtile honeſtum eſt, ſed quia honeſtum, vtile. [*Lib.*3.] Maneat ergo, quod turpe ſit, id numquam eſſe vtile; ne tum quidem, cùm quod vtile putes, adipiſcare. Hoc enim ipſum, vtile putare, quod turpe ſit, calamitoſum eſt. [*Lib.*3.]

AVrem hîc mihi vellicat Cicero, admonetq́ disputatione hac ſuâ vltimâ de vtilitate fucatâ, quæ cum honeſtate coniuncta non ſit, de calliditate aliisq́, quæ ſpeciem quamdam Prudentiæ præ ſe ferant, abſint tamen ab eâ quam longiſſimè; admonet, inquam, vt poſt veræ Prudentiæ delineationem, falſæ Prudentiæ (ſi falſa vmquam dici poteſt, quæ Prudentia eſt, quæ Virtus eſt) ideam quamdam exhibeam. Paucis itaque & Prudentiæ & ceterarum exinde Virtutum quoſdam quaſi abortus adiiciam. Sed date veniam verbo. Non abortiunt veræ virtutes, viuarum actionum integræ matres atque fœcundæ; & ſi ſimulacra quædam virtutum ac monſtra ſunt, fetus illi virtutum non ſunt. Laruas *itaque virtutum nuncupabo, vt ex falſis veræ, ex fictis ſinceræ, ex vmbris virtutum virtutes ipſæ clariores appareant. Ceterùm quia fictæ ac malæ, epigrammate ſunt perſtringendæ.*



LARVA

LARVA PRVDENTIÆ;

PSEVDOPOLITICA.



O Ciues, ciues, quærenda pecunia primùm est: Horat. Epist. 1.
Virtus post nummos: *sic sæpe quisquis amas*
Et proprium decus, & natorum, atque aurea vitæ
Tempora. Sic fora sic Ianus vterque docent. Horat. ib.
Dissimula tamen, atque nihil nisi publica clama
Commoda priuatis anteferenda bonis.
Verba fidem resonent, nil non violabile celent
Pectora, promissis nec moueare datis.
Aura atque Ara pari vertantur flamine: nam quò
Sorsque statusque iubent, flectere vela decet.
Sinceræ mentis sic fucus adulterat aurum,
Sic præeunt veris falsa profana Sacris.
Doctior at Sapiens: Hæc est prudentia carnis: Ad Rom. cap. 8.
Cùm nulla est animi aut vltima cura tui.
Cùm potius probitate lucrum est, falsum vtile honesto;
Qualescumque, bonæ cùm reputantur opes.
Corporis hoc totum est, animo nil denique restat.
At pretium pars hæc corpore maius habet. Ouid. l. 1. de Remed.
Scilicet hæc vita est, sine vitâ animoque? sagaci
Prospicere hoc vitæ est calliditate suæ?
Credite iurato: Carnis prudentia mors est. Ad Rom. cap. 8.
Quis valeat vitam morte fouere suam?

IVSTITIÆ ICONISMVS.

CREDIS IVSTITIAM VIDERE
QVI MVNERA OBTRVDIS?
AVDIRE, QVI MINAS INGERIS?
CÆCA ET SVRDA EST
VERA IVSTITIA;
AT NON EA CÆCITATE
QVAM OBIECTVM
OCVLIS AVRVM;
NON EA SVRDITATE
QVAM LAVTA PROMISSA
EFFICERE SOLENT.
NIMIVM VIDET,
SI AVRVM VIDET:
NIMIVM AVDIT,
SI BLANDITIAS PERCIPIT.
ET VIDET TAMEN, ET CÆCA EST;
ET AVDIT TAMEN, ET SVRDA EST.
VIDET
VT INVESTIGET CRIMINA
QVÆ PLECTAT;



IVSTITIÆ SAC.

SI NEC TONANTI, NYMPHA, POTENTIÆ,
NEC BLANDIENTI CESSERIS; ET MINIS
INVICTA, ET INCORRVPTA DONIS;
VIRGO EQVIDEM POTERIS VOCARI.

VT EXPLORET MERITA
QVÆ PRÆMIO AFFICIAT:
CÆCA TAMEN EST,
NE IN HIS PERSONAM RESPICIAT.
AVDIT
ACCVSATOREM ET REVM;
NON AVDIT
ADVLATOREM ET MINACEM,
QVO MINVS LIBERE
VNICVIQ. IVS SVVM TRIBVAT.
TANTA IPSI A GLADIO FIDVCIA
ET ÆQVITAS A BILANCE:
NEC A SPE ILLECEBRA;
NEC A METV TREPIDATIO.
INTER VTRVMQVE SEDET
INCONCVSSA;
SICVT INTER SIDERA,
SIC ET IN TERRIS
VIRGO,
QVAMDIV SIC INCORRVPTA.

IVSTITIA

Descripta ex libris Officiorum Ciceronis.



VSTITIA, in quâ virtutis ſplendor eſt maximus, ex quâ boni viri nominamur [*Lib.* 1.] virtus eſt omnium Domina & Regina Virtutum. [*Lib.* 3.] Nihil enim honeſtum eſſe poteſt quod Iuſtitiâ vacet; & nullum eſt tempus quod Iuſtitiâ vacare debeat. [*Lib.* 1.] Hæc in hominum ſocietate tuenda tribuendoque ſuum cuique & rerum contractarum fide verſatur. Fundamentum enim Iuſtitiæ eſt fides, id eſt dictorum conuentorumque conſtantia & veritas: ex quo quamquam hoc videbitur fortaſſe cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui ſtudiosè exquirunt vnde verba ſint ducta, credamusque quia *fiat* quod dictum eſt, appellandam *fidem.* [*Lib.* 1.] Quamquam autem omnis Virtus nos ad ſe allicit, facitque vt eos diligamus in quibus ipſa ineſſe videatur, tamen Iuſtitia & Liberalitas id maximè efficit. [*Lib.* 1.] Fundamentum enim perpetuæ commendationis & famæ eſt Iuſtitia, ſine quâ nihil poteſt eſſe laudabile. [*Lib.* 2.] Ea enim, ex quâ viri boni appellantur, mirifica quædam res multitudini videtur: nec iniuriâ: nemo enim iuſtus eſſe poteſt qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egeſtatem timet, aut qui ea quæ his ſunt contraria æquitati anteponit; maximeque admirantur eum qui pecuniâ non mouetur, quod in quo viro perſpectum ſit, hunc dignum ſpectatu arbitrantur. Itaque illa quæ propoſita ſunt ad gloriam, omnia Iuſtitia conficit, & beneuolentiam, quòd prodeſſe vult plurimis, & ob eamdem cauſam fidem & admirationem,

quòd

quòd eas res ſpernit & negligit ad quas plerique inflammati auiditate rapiuntur. [*Lib*.2.] Hinc nullâ re conciliare faciliùs beneuolentiam multitudinis poſſunt ij qui Reipub. præſunt, quàm abſtinentiâ & continentiâ. [*Lib*.2.] Eſt igitur proprium munus Magiſtratus, intelligere ſe gerere perſonam Ciuitatis, debereq́ue eius dignitatem & decus ſuſtinere, ſeruare leges, iura deſcribere, ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe. [*Lib*.1.] Ita probanda eſt manſuetudo atque clementia, vt adhibeatur Reip. cauſâ ſeueritas, ſine quâ adminiſtrari ciuitas non poteſt. Omnis autem & animaduerſio & caſtigatio contumeliâ vacare debet, neque ad eius qui punit aliquem aut verbis caſtigat, ſed ad Reip. vtilitatem referri. Prohibenda autem maximè eſt ira in puniendo: numquam enim iratus qui accedet ad pœnam mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium & parum. Optandum itaque vt ij qui præſunt Reip. legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum non iracundiâ ſed æquitate ducuntur. [*Lib*.1.] His etiam qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisq́ue negotiis implicantur, Iuſtitia ad rem gerendam neceſſaria eſt: cuius tanta vis eſt, vt ne illi quidem qui maleficio & ſcelere paſcuntur poſſint ſine vllâ particulâ Iuſtitiæ viuere; nam qui eorum cuipiam, qui vnà latrocinantur, furatur aliquid aut clàm eripit, is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. [*Lib*.2.]

INiuſtitiæ duo genera ſunt; vnum eorum qui inferunt, alterum eorum qui ab iis quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant iniuriam. Maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, vt adipiſcantur ea quæ concupierunt: in quo vitio latiſſimè patet auaritia. [*Lib*.1.]

Delectant magnifici apparatus vitæque cultus cum elegantiâ & copiâ, quibus rebus effectum est vt infinita pecuniæ cupiditas esset. Maximè autem adducuntur plerique vt eos Iustitiæ capiat obliuio, cùm in imperiorum, honorum, gloriæ cupiditatem inciderint. [*Lib*.1.] Difficile autem est, cùm præstare omnibus concupieris, seruare æquitatem, quæ est Iustitiæ maximè propria. Ex quo fit vt neque disceptatione vinci se, nec vllo publico ac legitimo iure patiantur; existuntque in Remp. plerumque largitores & factiosi, vt opes quàm maximas consequantur, & sint vi potiùs superiores quàm Iustitiâ pares. [*Lib*.1.] Cùm autem duobus modis, id est, aut vi aut fraude fiat iniuria; fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur: vtrumque ab homine alienissimum, sed fraus odio digna maiore. Totius autem iniustitiæ nulla capitalior est quàm eorum, qui tum cùm maximè fallunt, id tamen agunt, vt viri boni esse videantur. [*Lib*.1.]

Meminerimus autem etiam aduersus infimos Iustitiam esse seruandam: est autem infima conditio & fortuna seruorum. [*Lib*. 1.] Cauendum est etiam ne maior pœna quàm culpa sit, & ne iisdem de causis alij plectantur, alij ne appellentur quidem.



LARVA

LARVA IVSTITIÆ,

MINORVM PVNITIO,

MAIORVM IMPVNITAS.



AT veniam coruis, vexat cenſura columbas, Iuuen. Sat.2.
Territa ſi ditum ſorte ſtatera labat.
Perrumpunt bruchiq́ue & veſpæ retia, arachne
Quæ de viſceribus neuerat ipſa ſuis.
Heu! tenues muſcæ laqueis fatalibus hærent,
Si diſpar legum eſt Iuſtitiæque tenor:
Si taceant ad magnorum ſubſellia noxas;
Si peccante inflet paupere præco tubam,
Diſcite iuſtitiam moniti; *pars quantula veræ* Æneid.6.
Iuſtitiæ hæc dici (vel magis vmbra) queat?
Si cupias iuſtum geminâ ſuſpendere lance, Perſ. Sat.4.
Æquali cunctos pondere libra probet:
Sin contrà; ſedet hac Dominus, cui multa ſupellex,
Multaq́ue, præter opes, gratia, multus honos.
Lancem tot grauium rerum momenta, virumq́ue
Demittent, terræ reſtituentq́ue ſuæ.
Parte aliâ famulus cui nec fauor aulicus, aut res
Aurea, de furcâ penſile fiet onus.
Pauperem opum dum nulla iuuant heu! pondera rerum,
Sic leuitas vacuæ lancis ad aſtra vehet.

FORTITVDINIS ICONISMVS.

QVISQVIS EFFIGIEM SPECTAS
FORTITVDINIS,
VIM EIVS PERCIPE ET IMITARE:
ARMATA EST
NON MAGIS FERRO
QVAM GENIO SVO:
ROBVSTA
NON TAM CORPORE QVAM ANIMO:
ISTVD ENIM GLADIATORVM EST,
HOC HEROVM.
MANV ALTERA SCEPTRVM GERIT,
ET IN SCEPTRO MANVM:
QVOD NON TANTVM AGENTIS EST,
ET PRÆCLARA INCHOANTIS,
SED AD EXITVM PERVRGENTIS.
ALTERA MANV COMPLEXA CRVCEM,
NON MINVS IN PATIENDO
QVAM AGENDO INDOLEM PROBAT.
IN ARDVO POSITA,
EXCELSOS ANIMOS,

MAR-


AGERE.
PATI.
FORTITVDINI SAC.
QVID SCÆVAS, DECIOSQVE, REGVLOSQVE
ROMANOS ANIMOS, CANIT VETVSTAS?
VEROS CHRISTIADVM STVPE TRIVMPHOS:
SIC AGIT PATITVRQVE FORTITVDO.

MARMORI INNIXA, CONSTANTES
IN PERAGENDO DEPOSCIT.
HABES HINC IN IMAGINE ET ILLINC
QVOS SEQVARE.
FORTEM TE DIXERO
SI ILLVM FVERIS ÆMVLATVS
ET ISTVM.
AGIT ILLE GENEROSE
ET DRACONEM CONFICIT.
PATITVR ISTE SAGITTAS
ET RIDET.
TV QVOT VITIA TOT DRACONES
PERSEQVERE,
VIRTVTEM PROSEQVERE.
TV PRO SAGITTIS ETIAM INIVRIAS;
QVIN ET ADVERSA OMNIA
INTREPIDVS EXCIPE.
SIC AGERE ET PATI FORTIA
PLVSQVAM ROMANVM EST,
QVIA CHRISTIANVM EST.

FORTITVDO

Descripta ex libris Officiorum Ciceronis.



ORTITVDO in animi excelsi atque inuicti magnitudine ac robore versatur. [*Lib.*1.] Vera autem & sapiens animi magnitudo, honestum illud, quod maximè naturam sequitur, in factis positum non in gloriâ iudicat, principemq; se esse mauult quàm videri. Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. [*Lib.*1.] Interim intelligendum est, cùm proposita sint genera quatuor, è quibus honestas officiumque manaret, splendidissimum videri, quod animo magno elatoque, humanasque res despiciente, factum sit. Et in laudibus, quæ magno animo fortiter excellenterque facta sunt, nescio quomodo pleniore ore laudamus. [*Lib.*1.] Iam, illud honestum, quod ex animo excelso magnificoque quærimus, animi efficitur, non corporis viribus. Exercendum tamen corpus & ita afficiendum est, vt obedire consilio rationique possit in exequendis negotiis & in labore tolerando. [*Lib.*1.] Omnino fortis animus & magnus duabus rebus maximè cernitur; quarum vna in rerum externarum despicientiâ ponitur: cùm persuasum sit, nihil hominem nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari aut optare, aut expetere oportere, nullique neque homini neque perturbationi animi nec fortunæ succumbere. Altera res est, vt cùm ita sis animo affectus, vt suprà dixi, res geras magnas illas quidem & maximè vtiles, sed vehementer arduas plenasq; laborum & periculorum cùm

vitæ

vitæ tum multarum aliarum rerum quę ad vitam pertinent. Harum rerum duarum ſplendor omnis & amplitudo eſt, addo etiam vtilitatem, in poſteriore: cauſa autem & ratio efficiens magnos viros eſt in priore. In eo enim eſt illud, quod excellentes animos & humana contemnentes facit. Id autem ipſum cernitur in duobus: ſi & ſolum id quòd honeſtum ſit bonum iudices; & ab omni animi perturbatione liber ſis. Nam & ea quæ eximia pleriſque & præclara videntur parua ducere, eaque ratione ſtabili firmâq; contemnere, fortis animi magniq́; ducendum ſit. Et ea quæ videntur acerba, quæ multa & varia in hominum vitâ fortunâq; verſantur, ita ferre vt nihil à ſtatu naturæ diſcedas, nihil à dignitate ſapientis, hoc robuſti animi eſt, magnæq́ue Conſtantiæ. Non eſt autem conſentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate; nec qui inuictum ſe à labore præſtiterit, vinci à voluptate. Quamobrem & hæc vitanda ſunt, & pecuniæ fugienda cupiditas. Nihil enim eſt tam anguſti animi tamq́ue parui quàm amare diuitias. Nihil honeſtius magnificentiusq́ue quàm pecuniam contemnere, ſi non habeas; ſi habeas, ad beneficentiam liberalitatemq́ue conferre. Cauenda eſt etiam gloriæ cupiditas; eripit enim libertatem, pro quâ magnanimis viris omnis debet eſſe contentio. Nec verò imperia expetenda, ac potiùs aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnumquam. Vacandum autem eſt omni animi perturbatione, tum cupiditate & metu, tum etiam ægritudine & voluptate animi & iracundiâ, vt tranquillitas adſit & ſecuritas quæ afferat tum conſtantiam, tum etiam dignitatem. [*Lib.*1.] Sunt verò qui in rebus contrariis parum ſibi conſtent, voluptatemq́; ſeueriſſimè contemnant, in dolore ſint molliores; gloriam neg-

ligant,frangantur infamiâ: atque ea quidem non ſatis conſtanter. [*Lib*.1.] Fortis verò & conſtantis eſt non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu deiici,vt dicitur; ſed præſentis animi vti conſilio,nec à ratione diſcedere. Quamquam hoc animi,illud etiam ingenij magni eſt, præcipere cogitatione futura,& aliquanto antè conſtituere quid accidere poſſit in vtramque partem , & quid agendum ſit cùm quid euenerit ; nec committere aliquid , vt aliquando dicendum ſit,*Non putaram*.Hæc ſunt opera magni animi & excelſi, & Prudentiâ conſilioque fidentis. [*Lib*.1.] In rebus autem proſperis, & ad voluntatem noſtram fluentibus, ſuperbiam magnoperè, faſtidium arrogantiamque fugiamus. Nam vt aduerſas res ſic ſecundas immoderatè ferre, leuitatis eſt : præclaraque eſt æquabilitas, in omni vitâ & idem ſemper vultus eademque frons. [*Lib*.1.] Denique multò magis eſt ſecundùm naturam celſitas animi & magnitudo, itemque comitas, Iuſtitia,liberalitas,quàm voluptas, quàm vita, quàm diuitiæ; quæ quidem contemnere & pro nihilo ducere, comparantem cum vtilitate communi magni animi & excelſi eſt. [*Lib*.3.] Porrò omnium omnino charitates patria vna complexa eſt , pro quâ quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei eſt profuturus. [*Lib*.1.]

EA animi elatio quæ cernitur in periculis, in laboribus, ſi Iuſtitiâ vacet,pugnatque non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis , in vitio eſt . Non modò enim id Virtutis non eſt, ſed potiùs immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Itaq; probè definitur à Stoicis Fortitudo, cùm eam Virtutem eſſe dicunt pugnantem pro Æquitate. Quocircà nemo qui Fortitudinis gloriam conſecutus eſt, inſidiis

insidiis & malitiâ laudem est adeptus. [*Lib.*1.] Et quidem animus paratus ad periculum si suâ cupiditate, non vtilitate communi impellitur, audaciæ potiùs nomen habeat quàm Fortitudinis.

LARVA FORTITVDINIS DVELLVM.



ORTIOR est qui se quàm qui fortissima vincit Varij.
Mœnia. *Quale etenim mœnia robur habent?*
Mortua res terra & lignum est, res mortua saxum;
Hanc fossor, faber hoc, hoc lapicida domant.
Vince animos iramque tuam qui cetera vincis: Ouidius Epist. Bris.
Illa viri titulum gloria Fortis habet.
Scilicet est verbo qui pungitur: ignis & ensis
Vindictæ in rabiem corque manumque trahunt.
Exclamat, sociumque rapit per fata secundum;
Et gratis vitam commodat iste suam.
Alter & ad dictam cùm compare tendit arenam:
Hîc genium furiæ Mars stupet ipse nouæ.
Vnius è multis minimùm stat sanguine palma;
Sæpè etiam numero procubuêre pari.
Scilicet hos Fortes *qui dixerit, vnicum* honoris
Fortius is punctum, *quo cecidere, facit.*
Sed neque virtutis titulum tam futile punctum;
Nec tantum insani promeruêre decus.
Heroës se digna ineunt certamina. Puncto
Arctari Virtus *tam* generosa *nequit.*

TEMPERANTIÆ ICONISMVS.

CERNIS HVNC GENIVM
QVISQVIS TABELLAM HANC CERNIS?
MODERATE VINVM DVM INFVNDIT
ATQVE ETIAM AQVAM AFFVNDIT,
IPSAM EXHIBET
TEMPERANTIAM.
NEQVE TAMEN CIBI SOLIVS
AVT POTIONIS MEDIOCRITATE
DIVAM HANC CIRCVMSCRIPSERIS.
TOT SVBDITORVM MODERATRIX EST
QVOT MOTVVM,
QVOT APPETITIONVM
ANIMVS PARENS EST.
ASPICIS ILLAM IN QVADRIGA
TRIVMPHANTEM?
ASPICIS HOS PVSIONES IN BELLVIS
VELVT EQVIS SINGVLARIBVS
DOMINÆ LATVS STIPANTES?

ET



TEMPERANTIÆ SAC.

VT VENVS, ET VENERIS NATVS, BACCHVSQ. CERESQ.
VT RABIDÆ SVBEVNT STRICTA CAPISTRA FERÆ!
TEMPERAT HÆC CVPIDOS MOTVS, ET TVRBIDA FRENAT
PECTORA. FLEXANIMAM DIXERIS? IMO DEAM

ET HÆC SVAVITER
ET ILLI IVCVNDE FERVNTVR.
IVNXIT ILLA CVRRVI SVO
A QVIBVS TVRBÆ OMNES
OMNISQVE REBELLIO:
NEQVE TAMEN INDOMITE RAPITVR,
SED VEHITVR PLACIDE,
QVIA TAM VALIDVM
IN FRÆNO FERVLAQVE
IMPERIVM, ET AB IMPERIO
TAM QVIETA SECVRITAS EST.
SED CAVE SINAS INVALESCERE
QVOD STATIM PRIMO IN IMPETV
FRACTVM OPORTVIT.
FERAS ETIAM GRANDES
ET VALIDAS
VEL PVERI REXERINT,
SI PARVAS PRIVS AC TENERAS
MAGISTRA MANVS
PARERE DOCVERIT.

TEM-

TEMPERANTIA

Descripta ex libris Officiorum Ciceronis.



EQVITVR vt de illâ reliquâ parte honestatis dicendum sit, in quâ verecundia & quidem quasi ornatus vitæ, Temperantia & modestia omnisque sedatio perturbationum animi & rerum *modus* cernitur. [*Lib*.1.] Ordo enim & constantia & moderatio & ea quæ sunt his similia versantur in eo genere ad quod adhibenda est quædam actio, non solùm mentis agitatio. His enim rebus quæ tractantur in vitâ modum quemdam adhibentes & ordinem, honestatem & decus conseruabimus. [*Lib*.1.] Nec verò illa parua vis naturæ est rationisque, quod vnum hoc animal (homo) sentit quid sit ordo, quid deceat, in factis dictisque qui sit *modus*. Itaque eorum ipsorum quæ aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, conuenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens, multò etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conseruandum putat, cauetque ne quid indecorè effeminatéve faciat: tum in omnibus & opinionibus & factis ne quid libidinosè aut faciat aut cogitet. [*Lib*.1.] Curandum enim est vt cogitatione ad res quàm optimas vtamur, appetitum rationi obedientem præbeamus. [*Lib*.1.] Nam voluptates blandissimæ dominæ sæpè maiores partes animi à virtute detorquent. [*Lib*.2.] Est verò Temperantia libidinum inimica; libidines

nes autem consectatrices voluptatis. [*Lib*.3.] Nobis autem cùm à naturâ constantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ sint, cumque eadem natura doceat, quemadmodum nos aduersus homines geramus; efficitur vt & illud quod ad omnem honestatem pertinet decorum, quàm latè fusum sit appareat, & hoc quod spectatur in vnoquoque genere virtutis. [*Lib*.1.] Est igitur duplex vis animorum atque naturæ. Vna pars in appetitu posita est, quæ est ὁρμὴ Græcè, quæ hominem huc & illuc rapit; altera in ratione, quæ docet & explanat quid faciendum fugiendumq; sit. Efficiendum autem est vt appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant, aut propter pigritiam & ignauiam deserant; sintque tranquilli atque omni perturbatione animi careant, ex quo elucebit omnis constantia omnisque moderatio. Nam qui appetitus longius euagantur, & tamquam exultantes siue cupiendo siue fugiendo non satis ratione retinentur, hi sine dubio finem & modum transeunt. Relinquunt enim & abiiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui sint subiecti lege naturæ: à quibus non modò animi perturbantur, sed etiam corpora. [*Lib*.1.] Si quis est paulò erectior, quamuis voluptate capiatur, occultat & dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam: ex quo intelligitur, corporis voluptatem non satis esse dignam hominis præstantiâ, eamque contemni ac reiici oportere. [*Lib*.1.] Itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referantur & ad vires, non ad voluptatem. Atque etiam si considerare volumus quæ sit in naturâ excellentia & dignitas, intelligemus quàm sit turpe diffluere luxuriâ, & delicatè ac molliter viuere; quamque honestum, parcè, continenter, seuerè sobrieque. [*Lib*.1.] Maximè au-

tem prima ætas à libidinibus arcenda eſt, exercendaque in labore patientiâque & animi & corporis, vt eorum & in bellicis & in ciuilibus officiis vigeat induſtria. [*Lib.* 1.] Luxuria verò cùm omni ætati turpis, tum ſenectuti fœdiſſima eſt. Sin autem & libidinum intemperantia acceſſerit, duplex malum eſt, quod & ipſa ſenectus concipit dedecus, & facit adoleſcentium impudentiorem intemperantiam. [*Lib.*1.]

Nullum vitium tetrius eſt quàm auaritia. [*Lib.*2.] Res autem familiaris quæri debet iis rebus à quibus abeſt turpitudo, conſeruari autem diligentiâ & parſimoniâ, iiſdemque etiam rebus augeri. [*Lib.*2.]



LAR-

LARVA TEMPERANTIÆ,

AVARITIA

TEMPERANTIÆ SIMVLATRIX.


NEC dubiè tamquam frugi laudatur auarus; Iuuenal. Sat. 14.
Tamquã parcus homo, *qui malè diues homo est.*
Fallit enim vitium ſpecie virtutis & vmbrâ: Ibidem.
Virtuti aſperitas nam vitioque ſua est.
Sed ne fide oculis: animo cenſore profundum
Diſcute: quamquam oculis hæc quoque larua patet.
Euclio, defoſſis cui res ſuſpirat in ollis,
Cuius opes centum ſtrangulat arca ſeris,
Centone en miſeros obolari inuoluitur artus:
Si tamen hoc etiam ſat caro tecta modo est.
Hæccine laudatæ est moderata modeſtia vitæ?
Sordibus at cultus proditur iſte ſuis.
Mucida quæ rodit bis cocti tempore panis
Anne aliquid veræ fruſtula frugis habent?
Hoc virtutis opus, iuſtâ ratione modoque
Vti, ac poſſeſſis abſtinuiſſe bonis.
Cur ſibi nil aliiſque minus concedit auarus?
Pauper auarus homo est, non habet hoc quod habet.

APPENDICVLA.

CVm virtus media ſit inter extrema vitia, viſum fuit non auaritiam tantùm adiungere Temperantiæ, ſed & prodigalitatem ſubiungere. Igitur poſt auaritiam ecce tibi nomen MODI, *Temperantiæ proprium, ad prodigalitatem, luxum, intemperantiam morémque temporis huius cum ludibrio deflexum vſurpatúmque.*

Horat. lib. 1. Sat. 1.



EST *modus in rebus, ſunt certi denique fines,*
Quos vltrà ratio tendere honeſta vetat.
Eſt *modus* in rebus, vitæ menſura modeſtæ
Eſt *modus*: at morũ iam *modus* abſq; modo eſt.
Peruerſusque modi modò nomine deſipit vſus;
Quidquid ſtultitiæ luditur, hoc *modus* eſt.
Luxuriant menſæ? modus eſt. Potatur & eſtur
Ære graui? modus eſt: & modus eſt in equis,
In rhedisque modus, modus in choreisque iocisque
Fingitur; eſtque modi quæ via nomen habet.
Veſtibus & quotuplex modus eſt? noua cuditur omni
Forma die: hic modus eſt; materiemque modus,
Materiesque modum noua fabricat. Ille puellas,
Ille rotat iuuenes more volante modus.
Crinibus ecce modus nouus eſt & corpore toto,
Pileolisque nouus palliolisque modus.
Vertigo capiti ſæpè eſt lunatica; ſed iam
Lunatos etiam cernimus ire pedes.

Calceus


Calceus inflexæ prætentat cornua frontis,
  Sesquipede excedens longior ipse pedem.
An fors *patriciâ claudens vestigia lunâ*,
  Vt quondam, illustres iam modus iste probat? Statius l. 5. Sylu
Omnia cùm toties noua sint, modus omnia versat;
  Et quoties ventus, vertitur ipse modus.
Vnde intemperies tam publica, totque nouarum
  Tot rerum facies? *mosque modusque* iubent.
Quis modus hic vitæ est sic insanire, modumque
  Ad patrocinij flectere iura sui?
Parcite ohe! figuli tot morum totque modorum:
  Vnus honestati *mosque modusque* sat est.



APPROBATIO.

VIRTVTES *Cardinales Ethico Emblemate expressæ vtiliter typis exprimentur.*

P. Coens S. Th. L. Canonicus,
& Lib. Censor Antuerp.


LABORE ET CONSTANTIA.



